



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXIV. Vtrùm auxilium efficax prädeterminans physicè voluntatem
influendo immediatè in actum eius liberum possibile sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

maximè quoad actus gratiæ non fieri sine decreto absoluto diuinæ voluntatis, per modum intentionis antecedentis, quæ ad ordinem prædestinationis, non executionis pertinet. Sed de hoc decreto, quomodo à voluntate exequentis differat, & cur minus repugnet arbitrij humani libertati, sæpe iam dictum est, & infra magis declarabitur.

C A P V T XXIV.

Virum auxilium efficax prædeterminans physicè voluntatem influendo immediate in actum eius liberum possibile sit.

IN superiori capite vidimus, necessitatem huius auxiliij repugnare quoad specificationem circa supernaturales actus, id est, non relinquere potestatem moralem faciendi illos in his, quibus tale auxilium denegatur, nunc videndum est, an tale auxilium datum repugnet libertati quoad exercitium, & ideo possibile non sit saltem salva actus libertate. Aliqui enim moderni Theologi qui nobiscum sentiunt in his quæ hætenus contra physicam prædeterminationem auxiliij efficacis diximus, in hoc puncto docent, hoc genus physicæ prædeterminationis non repugnare cum libertate actus, ideoque non solum esse possibile, sed sæpe etiam dari præsertim ad quasdam miraculosas, & efficacissimas conversiones vt Pauli, Matthæi, Magdalene & similibus, vel ad actus, qui ex quadam singulari gratia, & privilegio conceduntur, vt fuerunt fortasse omnes actus Beatissimæ Virginis in via, præsertim vero ille qui Angelicæ annuntiationi assensum præbuit. Et hanc existimo fuisse opinionem F. Ioannis Vincent. quantum ex his, quæ & Ledefmare ferret, & ab aliis audiui, coniectare possum. Nam vt supra dixi, eius scripta videre non potui. Eandem sententiam P. Lorca ex professo docuit nouus quidam Scriptor non indoctus, & constanter affirmat esse doctrinam D. Thomæ & Scoti, imò & S. Augustini. Sed de auctoribus infra dicam, nunc de vocatione tantum, vel phyfica, vel Theologica ex principijs fidei agendum est.

Fundamentum huius sententiæ videtur esse, quia licet vt homo supernaturalem consensum præbeat, necessarium non sit, vt Deus ex voluntate efficiat, & omnino absoluta illum moueat auxilio illo simultaneo, non tamen videtur dicendum Deum id facere non posse. Præmo quia multum derogat omnipotentia Dei, nam vt D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. & 1. 2. q. 10. art. 4. & sæpe alias docet, diuinæ potentia non tantum subsequitur actus voluntatis, sed etiam modus eius, vtique quod liberè fiat, ergo potest Deus de absoluta sua potentia efficaciter velle, & exequendo facere, vt voluntas humana consentiat. Vnde Augustinus in Enchiridio. cap. 95. Tunc inquit in clarissima luce sapientia videbitur, quod nunc pium fides habet, antequam manifesta cognitione videatur quam certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in psalmo canitur. Deus autem noster in celo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, quod vtique non est verum si aliqua voluit & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam nesciret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediunt. Non est autem minus indignum de Deo sentire non posse velle efficaciter aliquid fieri, à voluntate hominis, ne forte hominis voluntas impediatur, ne Dei voluntas impleatur. Vnde cap. 103. ait. Rogandus est Deus vt velit, nam si velit, necesse est fieri quod voluerit, vtique & modo etiam quo voluerit.

ergo potest Deus habere illud decretum, & per illud determinare efficaciter voluntatem hominis, vt velit, & libere velit, sicut eam Deus velle voluit, illa autem prædeterminatio non fit nisi per auxilium simultaneum, vt manans ab illo decreto, quia supponimus Deum aliud præuium non influere,

Secundò argumentor quia Deus potest præfinire absoluto decreto actum liberum hominis ante absolutam præscientiam eius, vt nunc supponimus; ergo etiam potest illam suam voluntatem exequi per similem voluntatem efficacem exequentem. Probatur consequentia, quia alias executio non esset æquè efficax, ac infallibilis, ac ipsa intentio. Dices: ex parte executionis sufficere voluntatem concomitantem cum præscientia conditionata, quod ex parte voluntatis humanæ non deest coefficientia, & influxus, si tali, vel tali modo excitetur & moueatur. Sed contra quia hic modus licet forte aliquando sufficiat, non potest in vniversum satisfacere, quia fieri potest vt Deus per conditionatam scientiam præuideat voluntatem hominis quocunque modo hic, & nunc excitetur, tam ex parte obiecti, quam per motiones præuenientes in ipsamet voluntate de se nunquam esse consensuram, nisi ex parte ipsiusmet consensus determinetur. Cum enim contingens sit an voluntas in tali, vel tali occasione ex se consensura sit sine alia prædeterminatione, contingere etiam poterit, vt in nulla occasione sit consensura, & quod id præuideat Deus. Ergo tum vel admittenda est possibilis prædeterminatio phyfica, per absolutum decretum executiuum Dei, vel concedendum est in aliquo casu Deum non posse absolute decernere, vt fiat actio libera, quod videtur absurdum, & alienum ab illa omnipotentissima potestate, quam, teste Augustino, Deus habet ad corda hominum inclinanda.

Tertiò quod caput est, in hoc apparet repugnantia, quia Deus per illam voluntatem absolutam non inducit aliquem actum primum prædeterminantem voluntatem, sed præbet tantum actualem motionem, quæ nihil aliud est, quàm ipsamet actio, & operatio voluntatis; hæc autem motio non fit in voluntate sine actuali cooperatione eiusdem voluntatis; ergo necessitas, quæ per talem motionem inducitur, non est necessitas antecedens, sed comitans, seu subsequens ex ipsamet operatione libera voluntatis; ergo non repugnat libertati iuxta principia supra posita. Alias nullius esset actus liber, quia quoties voluntas operatur, hæc determinatio, & necessitas, operatione ipsa inducitur, quia vero ipsamet voluntas illi cooperatur, ideo optimè stat cū illa necessitate libertas; ergo idem est in præsentia determinatione, quam Deus facere potest per actum secundum, quia non faciet illum sine cooperatione libera voluntatis; ergo ex parte libertatis non est repugnantia; ergo cum aliunde esse non possit, non est diuinæ omnipotentia denegandum. Et confirmatur tandem, quia Deus est primus auctor naturæ, & inclinationum quæ naturam sequuntur, ergo sicut præbet inclinationes innatas, ita potest præbere elicatas; ergo voluntas humana subest diuinæ, etiam quoad inclinationes elicatas per actus liberos. Et hæc ratio dicitur sumpta ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 6. in corp. & ad 3. & q. 10. art. 4. & 1. p. q. 105. art. 4. & q. 111. art. 3. & 4.

Nihilominus est secunda sententia huic extremè contraria simpliciter negans, esse possibilem talem modum prædeterminationis, etiam liberum vsu voluntatis humanæ impediendo. Vt enim hæc opinio intelligatur, aduerto, duplicè hic esse questionem, vna est simplicior, & abstractior, an Deus solum concurrente cū voluntate auxilio simultaneo

& nul-

& nullam mutationem distinctam, ac propriam illi imprimendo, possit illam prædeterminare ad vnum: Alia est magis composita, & contracta, an possit Deus illo modo prædeterminare voluntatem ad actum liberum seruato modo libertatis eius, vel tantum eam necessitando. Auctores ergo huius secundæ opinionis etiam in priori quæstione repugnantiam credunt inuolui in terminis, & ideo non posse Deum illo modo prædeterminare voluntatem ad vnum actum, & exercitium eius immediata te imprimendo ipsum actum secundum, sine alia præuia motione determinante. Poteſtque hæc sententia suaderi, quia si est prædeterminatio à Deo facta, est natura prior quam influxus voluntatis, si vero est per concursum simultaneum, illi repugnat vera prioritas naturæ, quæ in ordine causalitatis fundetur, vt sepe ostensum est. Sicut ergo repugnat idem respectu eiusdem esse prius natura, & non esse prius, ita repugnat fieri prædeterminationem per auxilium simultaneum. Item motio Dei vt sit vera prædeterminatio, debet esse à solo Deo, sed repugnat motionem quæ sit à Deo per concursum simultaneum esse à solo Deo, quia illa eadem motio & actio dicit essentiali habitudinem ad liberum arbitrium, vt sepe ostensum est, ergo repugnat esse prædeterminationem per auxilium simultaneum solum. Consequentia cum minori nota sunt. Maior probatur, quia si motio non sit à solo Deo, erit simul à voluntate, ergo voluntas influit in illam motionem non vt præexistens ordine naturæ determinata, quia prius natura, quam influat nihil à Deo sola accepit quo determinetur, vt supponitur, ergo per illummet influxum, quo ipsa voluntas influit in illam primam motionem, seipsam determinat concurrente Deo, ergo ex parte Dei non est vera prædeterminatio causalis, vt sic dicam, sed solum condeterminatio simultanea quæ non solum possibilis, sed etiam necessaria est in omnibus actibus liberis, & sequi oçe dicitur prædeterminatio ratione excellentiæ, & independentiæ, non ratione prioritatis naturæ, in causalitate fundatæ, vt in cap. præcedenti declarauimus. Ergo vt sit specialis prædeterminatio facta à solo Deo, oportet vt à solo Deo fiat, in voluntate prius natura, quæ ipsa quidquam faciat. Ergo repugnat fieri per solum simultaneum concursum. Et ideo multi ex his qui hanc prædeterminationem dicunt fieri per ipsum actum immediate, distinguunt aliquam actionem formaliter distinctam, quam solus Deus facit, & natura priorem quam sit actio voluntatis. Sed hæc sententia intelligi non potest, nec explicari, vt patet ex discursu capitis superioris. Et præterea habet eandem repugnantiam cum libertate actus, vel maiorem quam motio prædeterminans in actu primo, vt à fortiori probant omnia dicta cap. quæ facile hic explicari possunt. Igitur in ipso actu voluntatis, nihil ex parte Dei inuenitur nisi auxilium, seu concursus simultaneus imbitus in actione ipsius voluntatis quæ non fit sine inflexione, vt sic dicam, eiusdem voluntatis ad eandem actionem, & ideo non videtur esse posse prædeterminationem vera ex parte Dei.

Neque videtur satisfacere responsio, quæ ex dictis in capite præcedenti sumi potest per distinctionem illius auxilij simultanei, vel secundum se spectati, vel vt procedit à decreto absoluto voluntatis Dei efficaciter præuolentis, vt voluntas humana hoc velit: & quod priori modo non prædeterminet prout ratio facta probat. Secundo autem modo possit prædeterminare, non ratione sui, sed voluntatis Dei quæ præcedit. Hoc inquam, non videtur satisfacere. Primo quia licet fingatur ille concursus simultaneus procedere ab illo absoluto decreto diuinæ voluntatis, de illo procedit ratio facta, quod in re non habet prioritatem respectu in-

fluxus voluntatis, nec fit sine ipsa se determinante, & ad illam partem flectente, vnde non potest habere causalitatem in ipsam voluntatem, quæ faciat ipsam facere, cum actio illa prius fiat ab ipsa voluntate, quam possit illam determinare vt faciat. Deinde ille concursus simultaneus consideratur, vt fluens ab speciali decreto voluntatis Dei, nihil in se amplius habet, quam similis concursus procedens à generali decreto concurrenti, & inuolente conditionem, si voluntas velit; sed hic posterior concursus non prædeterminat, vt supra declaratum est, & dicti Auctores nobiscum fatentur, ergo nec prior potest prædeterminare. Probatur consequentia, quia illa habitudo ad voluntatem Dei efficacem solum est quædā determinatio extrinseca in ipso concursu Dei: sed sola determinatio extrinseca non sufficit ad specialem effectum realem: ergo nec ad prædeterminationem voluntatis satis esse potest, quia hæc prædeterminatio aliquis effectus realis est.

His vero non obstantibus, quibad partem contrariam sentio. Vnde dico primo posse Deum, per absolutum decretum executivum suæ voluntatis ita preuenire hominis voluntatem, vt illam prædeterminet ad volendum, quod Deus vult, eam velle, etiam si nihil agat in ipsam voluntatem hominis præter actum ipsum consentiendi, ad quem ipsa etiam voluntas hominis concurrat. Hoc probant argumenta prioris sententiæ magna ex parte, & idem confirmat quæ in primo Prolegomeno adduxi ad probandum posse Deum nostram voluntatem necessitate immediate per efficaciam suæ voluntatis quæ necessitas non est sine aliqua prædeterminatione. Vnde si ratio facta pro tertia parte probaret efficaciter, non posse Deum hoc modo prædeterminare voluntatem, à fortiori probaret non posse illam necessitare, quod videtur multum derogare omnipotentia Dei. Quia reuera nulla sufficiens ostenditur repugnantia, quia in eo casu dicendum est, prædeterminationem principaliter procedere à decreto absoluto, & efficaci voluntatis Dei, quod tunc præcedit ordine causalitatis; comparandas etiam voluntates diuinam, & humanam inter se, licet in ordine ad actionem, vel effectum non prius natura influat diuina voluntas quam humana.

Hæc enim duo non repugnant, quod facile patebit inchoando ab vltima replica proxima facta. Pro secunda opinione. In qua fallum est, quod simur nimirum nihil plus esse in concursu, seu influxu Dei simultaneo dato ex absoluto decreto prædeterminato simpliciter talis effectus, vel dato ex decreto includente conditionem, quia licet in hoc conueniant, quod influxus ab utroque proveniens sit simultaneus cum influxu voluntatis, & in re ab illo nō distinctus, nihilominus necesse est, vt illi duo influxus in se sint distincti in modo suo, & in efficacia sua, aliter non posset magis vnus prædeterminare, quā alius vt recte probat discursus factus, & in simili probatum est etiam in dicto prolegomeno. Nec est quod dicamus non posse Deum variis & pluribus modis concurrere cum voluntate auxilio simultaneo, ita vt vnus sit temperatus, vt ita dicam, indifferentiæ voluntatis, & quāli subiectus potestati eius, alius sit præternaturalis voluntati eiusque potestati non subiectus, & prior sit voluntate Dei, quæ sola vult cōcurrere quasi sub conditione, si à voluntas hominis sese accommodare voverit, alias vero sit à voluntate absolute volētis ita agere, vt omnino voluntas humana subsequatur, ita vt resistere non possit.

Et ita quantum ad hanc partem attinet, facile soluitur fundamentū secundæ sententiæ. Ad primam ergo eius partem nego in omni prædeterminatione ad extra necessarium esse, vt sit prior natura, quam actio voluntatis: satis enim esse potest, quod procedat à prædeterminatione ad intra, præcedenti

cedente ordine efficaciz, & causalitatis respectu humanæ voluntatis, quam vult illo modo trahere ad operandum. Ad alteram vero partem dico, prædeterminationem in actu primo per se postulare, ut à solo Deo fiat: non est autem hoc necessarium in hac prædeterminatione actus secundi, quia non dicitur prædeterminatio eo quod prius natura determinet voluntatem quam ipsa agat, sed quia illa actio prout à Deo fuit in voluntate, talis est, ut non subdatur indifferentiæ, seu potestati voluntatis, & quia illud modum habet ex influxu causæ prioris, & potissimæ, & antecedentis in volendo efficaciter, ideo talis actio, ut est à Deo dicitur prædeterminatio. Ad ultimam denique partem iam respondimus, non differre hunc influxum ab alio non prædeterminante, in sola denominatione extrinseca, sed per intrinsecam entitatem, seu modum suum, ratione cuius habet, ut non subdatur potestati voluntatis.

Ex his verò concludo, & dico secundò contra primam sententiam. Non potest Deus per suam voluntatem efficaciter prædeterminare voluntatem hominis immediate influendo in illam ipsum actum, nisi necessitando illam, ideoque impossibilis est talis prædeterminatio secundum consensum voluntatis, servato simul modo libertatis in ipso. Probatur primò quia Deus per huiusmodi voluntatē suam efficacem, & influxum ab illa manantem potest necessitare voluntatem humanam, sed inter illam necessitatem, & hanc prædeterminationem, nullum medium constitui vel discrimen assignari potest, ergo sicut talis necessitas, non potest esse sine prædeterminatione, ita neque talis prædeterminatio sine necessitate. Consequentia evidens est. Maior probata est in Prolegom. 1. & probatur optimè testimoniis & rationibus primæ sententiæ. Unde si ad illam defendendam Auctor eius negaverit posse Deum decreto suo necessitare voluntatem eorum rationes suas, veriusque derogat ipse omnipotentia Dei, quam id nobis obiciat. Quia in hoc quod actio Dei ita determinet voluntatem, ut libertatem operandi ei non relinquat, nulla involuntur repugnantia, ut ex terminis ipsis videtur per se notum, quod autem simul determinat & relinquat libertatem actionem, præ se fert statim repugnantiam, quam esse veram ostendimus, probando minorem rationis factam, scilicet, inter talem prædeterminationem, & necessitatem, nullum inveniri discrimen, aut medium. Quia ex parte Dei idem decretum efficax antecedit, & ex parte influxus ad extra immittitur voluntati humanæ etiam est convenientia in hoc quod neuter subditur potestati, ergo.

Responderi potest esse distinctum ratione decretum Dei in vno, & in altero casu: nam in vno vult voluntatem velle liberè, in altero vult velle cum necessitate. Sed contrariè, quia si vtrumque decretum est absolutum, & efficax quoad hoc, ut voluntas creata velit, & est decretum executivum ad extra quod vi sua facit, quod vult, impossibilis est illa differentia. Probatur, quia si consideretur efficacia illa talis decreti, equali necessitate ex illa sequitur hic effectus, qui est creata voluntatem velle, quia vtraque est necessitas in sensu composito, & ex tali suppositione antecedente, ut æquè impossibile sit voluntati creata resistere vtrique decreto; ergo non magis vna necessitas quam altera repugnat libertati, ergo non magis per vnum decretum vult Deus hominem operari quam per aliud; Si ergo per vnum inferre necessitatem contrariam libertati, etiam per aliud. Quocirca ut sic Deus necessitet, non oportet, ut modo nostro intelligendi vel loquendi ponatur necessitas ex parte obiecti, vel cum dicitur, velle, ut voluntas hominis velit necessitatio, sed eo

Fr. Suarez de Gratia Pars 1a.

ipso quod ponitur Deus velle absolute, ut homo velit, eadem necessitate sequitur volitio in homine; quia impossibile illi est, tali voluntati Dei resistere. Quod si hæc necessitas directè volita à Deo contraria est libertati hominis, profecto etiam si non fingatur directè & quasi in actu signato volita, sed in actu exercito, equè repugnat libertati, quia eiusdem rationis est; & in eadem efficacia antecedente fundatur. Unde è contrariò in voluitur repugnantia, cum fingitur decretum eiusdem efficaciz respectu actus volendi, coniungendo in eodem actu ex parte obiecti modum libertatis, quia non potest efficacia actus esse contraria obiecto suo, ergo cum talis & tanta sit efficacia actus, ut inducat necessitatem contrariam libertati, ut de alio actu similis efficaciz conceditur, impossibile est in obiecto eiusdem actus ponere modum libertatis.

Secundò principaliter id probatur ex parte auxilij, quo mediante Deus exequitur tale decretum, quia non potest Deus efficaciter voluntatem nostrā determinare, ex vi sui interni decreti, nisi aliquid in nobis ponendo, quo talis determinatio fiat, quia illud decretum, vel omnipotentia Dei per illud applicata, est proximum principium efficiens talem determinationem, ergo aliquid debet ab illo principio prodire efficienter, & in homine intrinsecè recipi, quo talis determinatio fiat. Sicut enim supra Prolegom. 1. probavi voluntatem humanam non necessitari à divina per solam extrinsecam denominationem, seu quasi sympathiam, sed necessariam esse aliquam mutationem intrinsecè factam in humana voluntate per propriam, & per se efficientiam voluntatis divinæ, ita in presenti dico determinationem hanc, quæ efficienter fieri dicitur per voluntatem Dei absolutam, aliquid esse debere per se factum à Deo, & intrinsecè receptum in voluntate. Quia illa determinatio non est denominatio extrinseca, & est aliquid quod ante actionem Dei voluntas humana non habebat, sicut etiam de necessitate diximus.

Deinde iam supponimus, id, quod Deus facit ad determinandam voluntatē, non esse aliquem actum primū, nec motionem præviā in re ipsa distinctam ab actu secundo voluntatis. Præterea esse non potest ipsemet actus secundus, ut prius factus à solo Deo, tum quia ostendimus in illo actu non esse plures actiones, vnam solius Dei, & aliam voluntatis simul & Dei, tum etiam, quia id repugnat actui vitali, tū præterea, quia voluntas non faceret suum actum eliciendo, & educendo illum de non esse ad esse, sed iam à Deo factū quasi iam foueret, & conservaret, seu actum ageret: tum denique quia inde evidentius sequitur necessitas absoluta voluntatis, quæ ex impressione auxilij in actu i. physice prædeterminantis, quia illa actio solius Dei esset suppositio simpliciter antecedens, & ex illa inevitabiliter sequeretur consensus, seu illa secunda efficientia voluntatis. Superest ergo vtriusque determinatio vtriusque aliquid in habitu voluntati, necessario ponenda sit in aliquo auxilio simultaneo talis naturæ, & conditionis, ut non subdit dominio, & libero vsui voluntatis, ergo tale auxilium non potest distinguī à simili auxilio necessitante, seu non potest in eodem distinguī ratio prædeterminandi, & ratio necessitandi.

Prima ex his duabus illationibus apertissimè probatur ex dictis hic, & in dicto prolegomeno primo, quia si illud auxilium secundum se spectatum subesset dominio voluntatis, non obstante quacunque determinatione interna diuinæ voluntatis dandi voluntati humanæ tale auxilium, posset voluntas humana etiam posita illa hypotheti non se inclinare, sed suspendere suum influxum, & consequenter posset actus non sequi, nec auxilium illud ad extra poni quod repugnat efficaciz divinæ voluntatis.

ris. Sequela patet, quia nullo alio modo influxus voluntatis, vel oblatum ex parte Dei subest dominio voluntatis hominis, nisi quatenus non obstante illa voluntate Dei, in voluntate hominis manet potestas ad suspendendum suum influxum. Repugnat ergo Deum ex absoluta efficacia sua velle ita coagere cum voluntate hominis, ut omnino infallibiliter cooperetur, nisi talem modum concursus illi prestando, respectu cuius non habeat voluntas creata potestatem sustinendi suum influxum, seu detinendi, ut sic dicam, cooperationem suam, & hoc ipsum est tale auxilium non subdi potestati voluntatis.

Hæc autem est necessitas absoluta respectu voluntatis, & consequenter repugnat libertati actus. 1. quia illa impressio eminenti quodam modo incipit antecedenter à Deo respectu humanæ voluntatis, & hæc non potest illi resistere, nec suum influxum sustinere, ut declaratum est. Secundo, quia libertas quoad exercitium posita est in potestate suspendendi actum, vel per positivum actum in nolendi agere, vel per negativam suspensionem interpretatiue voluntariam, ita ut hæc potestas intelligatur manere etiam post oblatum concursum ex parte Dei. At in eo casu talis potestas non relinquitur voluntati, ut satis declaravi; ergo nec relinquitur libertas quoad exercitium. Maior quoad priorem partem ex terminis nota est, quoad posteriorem autem, scilicet, quod illa potestas manere debeat etiam ex suppositione concursus oblatis ex parte Dei, patet, quia debet esse potestas proxima, qualis requiritur ad usum libertatis, & non est potestas proxima donec habeat paratū concursum ex parte Dei: nam si prius natura consideretur voluntas, non habebit potestatem suspendendi actum morali modo, sed habebit impotentiam ad habendum illum; ergo si talis offertur concursus voluntati, quo oblato non est in potestate eius suspendere suum influxum, non liberè, sed ex necessitate simpliciter suum prebet concursum. Denique, isto modo explicuimus in dicto prolegom. 1. vim divinæ voluntatis ad inferendam immediatè per se ipsam absolutam necessitatè voluntati humanæ, nec cum minori necessitate intelligi potest concursus simultaneus datus voluntati humanæ, cum qua illa omnino determinetur; ita ut non valeat iam suum influxum suspendere; ergo non potest in re distingui talis determinatio à necessitate, nedum ab illa separari.

Tertio idem probamus ex cōparatione huius determinationis ad alteram, quæ fit per impressionem actus primi physice determinantis; nam de hac ostendimus, si in actu primo præcedat, non posse relinquerè libertatè quoad exercitium in actu 2. in quo Theologi cum quibus nunc disputamus nobiscum consentiunt; ergo idem dicendum est de hac prædeterminatione in actu secundo. Prob. consequ. quia hi duo modi prædeterminandi conveniunt in hoc, quod in utroque habet voluntas humana quandam necessitatem eliciendi aliquem actum provenientem ab aliquo principio extrinseco antecedente, cui ipsa non potest resistere, vel non cooperari illi, solumque in hoc differunt, quod in priori principium proximum actus secundi, à quo provenit determinatio illa repugnans libertati, præcedat in voluntate natura; inhærendo illi, in hoc verò secundo modo principium proximè determinans humanam voluntatem ad actum secundum, non præcedit inhærendo voluntati, sed quasi intimè assistendo: est. n. increata virtus divini decreti intimè assistētis voluntati ad prædeterminandam illam in suo actu. Hæc verò differentia respectu necessitatis illata voluntati quasi materialis est, & modum necessitatis non mutat neque minuit; ergo si una determinatio est contraria libertati, etiam altera. Minor declaratur, & probatur, quia præmotio inhærens voluntati, illamque in actu 1. determinans, non alia ratione tollit liber-

tatē in actu secundo, nisi quia in influxu, quæ prebet in actu 2. non subditur potestati voluntatis, sed potius subiicit sibi, ita ut considerando constitutum illud ex voluntate, & tali præmotioe, licet actio ab illo compositio simul, & adæquatè procedat, nihilominus cōparando inter se illa duo principia, præmotio est quodammodo prior cōparatione voluntatis, & illam secum inenitabiliter ducit: sicut cōtrario quando voluntas operatur per habitum infusum, licet actio adæquatè, & simul procedat ab illo constituto ex potētia, & habitu, tamen comparado inter se illa duo principia, voluntas est prior, & quasi utitur habitu, qui in agendo illam inenitabiliter committitur, & hinc fit ut hæc motio sit libera, illa verò necessaria. At vero quod præmotio facit in inhærentia, decretum Dei fortius, & efficacius facit in inhærentia, coniungitur. n. voluntati hominis, & ex utroque adæquatū principium proximū talis actionis, in quo principio cōparando divinam voluntatē ad humanā, divina est prior, & ab illa eminenti quodammodo incipit actio per tale influxum, cui voluntas humana non potest resistere, nec suum influxum continere, ut illi non cooperetur. Denique, voluntas divina tunc utitur humana modo quodam inenitabili ipsi voluntati humanæ; ergo est eadem, vel maior necessitas, quia hæc necessitas non consistit in inhærentia sed in illo modo trahendi voluntatē inenitabiliter ad consensum: vel certè sicut in priori modo dicitur voluntas prædeterminata in actu primo per entitatem auxilij, ita in hoc posteriori dicitur potestati eminenti modo prædeterminata in actu primo per omnipotentiam, & voluntatem Dei absolutam assistentem illi ad vrendum illa ad tale modum agendi, quæ eius indifferenti potestati non subdetur. Est ergo hæc vera necessitas libertati contraria. Quod magis respondendo ad motiua contraria sententiæ constabit.

Ad primum respondemus ad omnipotentiam Dei pertinere, ut possit hominis voluntatem trahere, & movere quæ voluerit, omnibus modis simplicibus, ut ita dicam, id est, non includentibus simul repugnantes, & contradictorias condiciones. Et hoc modo meritò docet D. Thomas ad omnipotentiam Dei pertinere, ut faciat voluntatem operari non solum substantiam actus, sed etiam modum libertatis eius. Ad eandem vero potentiam quæ sapienter omnia operatur, pertinet, ut cum vult hominem liberè operari, applicet mediā consentaneam, & non repugnantiā libertati operationis, modus autem determinandi voluntatem per solam efficaciam omnipotentis suæ non est accommodatus libertati operationis, sed illi repugnans, ut ostensum est, & ideo si Deus velit ut illo modo, etiam ille cadet sub omnipotentiam suam, tamen eo ipso vult ut humana voluntas ex necessitate operetur, non liberè, quia vult, ut operetur ex necessitate immixta, à causa primaria, quæ est necessitas repugnans libertati.

Et sic etiam verissimum est, quod ait Augustinus, voluntatem hominis non posse impedire, ut non fiat, quod Deus absolute vult hominē velle. Sed oportet discernere, quid & quomodo velit Deus, ut iudicetur, qualis sit etiam impotentia ex parte hominis, & an necessitas inferatur contraria libertati, necne. Nam si Deus antecedenter, & ex efficaciter, & absolute vult hominē velle, & id operari per absolutam efficaciam omnipotentis suæ, tunc non potest velle, ut homo liberè velit, quia non potest velle contraria. Unde tunc homo inenitabiliter id vult, tamen ex necessitate absoluta vult, & non liberè, quia ex impotentia intrinseca, & antecedente (ut ita dicam) non potest impedire quin fiat, quod vult omnipotens. Si autem Deus simul absolute velit, hominē velle & liberè velle, iam non id vult fieri ex sola efficacia omnipotentis.

tiæ suæ, nec vult per hoc ipsum determinare voluntatem hominis, sed intendit alijs modis contentis in thesauris sapientiæ suæ, & potentia illam inducere, vt velit, & tunc etiam homo infallibiliter vult, quod Deus voluit, & non poterit impedire voluntatem absolutam Dei, nihilominus tamen liberè vult, quia non ex antecedente prædeterminatione efficaci, sed alio modo accommodato libertati inducitur, qui modus non ex sola omnipotentia, sed etiam ex præscientia aliqua habebit infallibilitatē, & ita illa necessitas non erit antecedens, sed consequens, vt in sequentibus explicabimus.

Ad secundum restat ibi responsum est, vt ex proxime dictis constat. Ad replicam autem ibi factam, imprimis dicimus, quod in ea supponitur ita esse impossibile, vt nunquam contingat. Vnde Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum, ad omnipotentiam, & omniscientiam Dei pertinere credit, vt non desit illi modus ita vocandi hominem, vt infallibiliter velit, quod Deus voluit eum velle, non ex prædeterminatione, sed ex congruitate vocationis. Sic enim ibi pro illis omnibus qui ita vocantur, vt non consentiant, hanc generalem regulam statuit. Si vellet Deus illorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Et pro alijs contrariam ponit regulam. Cuius misereatur sic eum vocat, sicut scit ei congruere, vt vocentem non respiciat. Vnde subdit inferius. Cum ergo alius sit, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sepe alio modo dicta moueat, & alio modo dicta non moueat, sicutque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, desuisse Deo modum vocandi quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret in qua Iacob iustificatus est? Vbi pondero non dixisse Augustinum non desuisse Deo modum, quo voluntatem Esau ipse determinaret, sed quo ita vocaret Esau, vt ipsamet Esau mentem suam applicaret, voluntatemque coniungeret. Loquitur ergo de modo vocationis congruo ei, qui vocatur, & à Deo præscito & de hoc interrogat Augustinus. Quis audeat dicere Deo desuisse? Sentiens nullo modo admittendum esse casum, in quo impossibile sit Deo talis vocatio. Et ratio est, quia licet quilibet vocatio singularis, & determinata non habeat de se infallibilem, sed contingentem effectum, nihilominus cum Deus infinitis modis disposuit vocare, confusè, & indeterminatè loquendo, impossibile est, non esse aliquam vocationem habituram effectum quem Deus pro infinita scientia distinxit, & in particulari nouit, & pro sua omnipotentia facere potest.

19
Instantie
occurritur.

Deinde vero si arguens vergeat, vt casum admittamus. Illo posito respondemus, in eo nihil aliud supponi, nisi dari voluntatem hominis ita dispositam, vel affectam in aliquo casu vt consensura non sit, quocunque modo alliciatur, vel attrahatur, donec necessitetur, perinde enim est dicere non esse consensuram, nisi per efficaciam extrinsecam Dei determinetur, quod arguens supponit, & dicere non esse consensuram, nisi necessitetur, nam vt probauit illa duo idem sunt. Sicut ergo arguens dicit ex illa hypothese, Deum non posse absolute velle, vt ille homo consentiat, nisi volendo etiā prædeterminare physice, eius voluntatē ex parte ipsius, præter omnem motionem moralem, ita nos dicimus, non posse Deum tunc velle absolute, vt homo ille consentiat, nisi volendo, vt saltem necessario velit, cum præstat nullo modo esse libere voluturum.

20
Respondetur
ad tertium.

Ad tertium iam ostensum est, in eo genere determinationis inuolui repugnantiam cum libertate. Prima vero probatio contra hoc inducta non est solida, quia licet hæc determinatio fiat per ipsammet operationem, quæ simul à voluntate hominis sit, includere potest necessitatem contrariam libertati. Nam etiam quando Deus necessitat voluntatem, concurrens voluntas ad ipsam actionem

Er. Suarez de Gratia Pars II.

necessariam, & nihilominus actio non est libera, quia ad illammet necessitatur à Deo. Et actus gratiæ necessitantis sunt necessarij, licet sint effectiui à voluntate, sed oportet, vt fiat cum potestate non agendi, & hanc non habet voluntas, si à Deo efficienter determinatur ab extrinseco, vt declarauimus. Vnde cum ibidem dicitur hæc necessitas non esse antecedens, sed consequens ad liberam cooperationem voluntatis, respondemus falsum supponi, tum quia ibi non est cooperatio libera, tum etiam quia illa necessitas quatenus oritur ex decreto Dei absoluto simpliciter & per se spectato est antecedens, & repugnans libertati, vt declarauimus. Altera vero probatio, quia hæc necessitas eadem reperitur in omnibus actibus voluntatis, facile retorquetur contra argumentum, quia eadem ratione sequeretur eandem determinationem inueniri in omnibus actibus voluntatis, quod ipse concedit. Cum ergo determinatio intelligi non possit, sine aliqua necessitate, & non in omnibus actibus voluntatis inueniatur determinatio, licet in omnibus sit illa necessitas composita, quæ ex suppositione libertatis cooperationis resultat, quæ est illa, quæ res cum est, necessario est, signum euidentis est, determinationem, quam ipse admittit in quibusdam actibus, & non in omnibus non includere solam illam necessitatem, sed aliam antecedentem, per quam fit vt liberum arbitrium non liberè, sed ex necessitate cooperetur influxui voluntatis Dei, & hanc dicimus esse necessitatem simpliciter libertati repugnantem. Ad confirmationem nemo est, qui neget, Deum posse præbere inclinationes elicatas voluntati, imo nunquam in illa sunt, quin Deus illas faciat. Quod solus docet D. Thomas in locis citatis. Vnde etiam verissimum est voluntates humanas subesse diuinæ quoad inclinationes elicatas tam liberas, quam necessarias, discernere tamen oportet modum talis subordinationis & subjectionis. Non enim spectat ad Deum eo quod sit primus auctor naturæ, vt necessitando voluntatem efficiat in illa elicitam inclinationem liberam, sed modus faciendi illam est duplex, moralis per præmotionem excitantem, & physicus per influxum simultaneum, qui subit potestati voluntatis, non verò physice prædeterminando: nam licet Deus hoc etiam possit facere, vt auctor voluntatis, faciet tamen necessitando, vt declarauimus.

Ex quibus tandem concludo secundum legem ordinariam Deum non conuertere ad se voluntates hominum determinando illas etiam in conuersionibus mirabilioribus, vt Pauli, & similium. Hoc probamus primo, quia Deus secundum legem ordinariam non necessitat voluntatem humanam ad hos actus, sed determinare illam hoc modo esset necessitare illam, ergo non determinat. Secundo, quia nulla est necessitas talis prædeterminationis, vel vt conuersio sit certa, & infallibilis, vel vt sit subitanea, & mirabilis: Nam iuxta generalem regulam, ex Augustino allegatam ad hoc sufficit vocatio congrua. Vnde de ipsa conuersione Pauli docet Augustinus, de Grat. & liber. arbitrii. c. 5. ita fuisse factam, & in sequenti capite, & alijs subsequentijs, id fiet euidentius; ergo illa determinatio necessaria non est propter moralem, & communem vsum diuinæ gratiæ. Vnde neq; habet congruitatem ad ostensionem potentæ, & virtutis Dei in subitis, & miraculosis conuersionibus, vt Ieronis, vel Magorum: tum quia ex visibili effectui nunquam potest constare quod fiat ex tali determinatione Dei, quia alius modus semper est possibilis: tum etiam quia multo magis ostenditur sapientia Dei, & virtus gratiæ eius, ita operando efficaciter talem effectum, vt semper relinquat humanæ voluntati suam determinationem omnino liberam, cum sola coopera-

21.
Dens fecit
dum legem
ordinariam
non conuertit
ad se voluntates
humanas
in conuersionibus
mirabilioribus.

tione diuina physica simultanea, & concomitante, vt potestati eiusdem voluntatis subiecta. Vnde sancti Patres de Iarone, Magis, Matthæo & similibus loquentes nullam mentionem faciunt talis determinationis, sed internæ gratiæ inspirantis, illuminantis, &c. vt in sequentibus videbimus.

22. *Instantia de actione scribendi Canonice scripturam.* Sed instat ille Auctor, quia actio scribendi canonicam scripturam physica fieri non videatur, quia scriptor canonicus mouetur ad scribendum à Spiritu sancto dictante non solum sensum, sed etiam singula verba & singulorum ordinem, quod neque facile, neque sine fictione tribui potest morali persuasioni, & nõ potest physica prædeterminationi. Similis actio dicitur esse locutio prophetica Spir. S. iuxta illud Ps.

De locutio prophetica.

44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribens.* Et nihilominus negari non potest, quin sit actio libera, alias inconsideretur in errore Montani, qui dixit Prophetas loquutos esse tanquam arreptitios.

23. *Occurritur.* Sed frustra excogitata est necessitas determinationis physica in his actionibus, quatenus ad voluntatem pertinent. Quia quidquid in eis necessario fit ex determinatione Spir. S. potissimum fit in intellectu, quæ autem pertinent ad voluntatem sine tali determinatione sunt. In his ergo hominibus primò spectari potest id, quod interius ab Spir. S. accipiunt, in quo primum est illustratio intellectus quoad reuelationem occultæ veritatis ex parte obiecti propositæ, & hæc cum ordinariè antecedit voluntatē non est libera, sed est ad modum gratiæ excitantis quam Spir. S. in nobis, sine nobis inchoat. Quod si contingat prophetā prius exoptare aut petere, vel se aliquo modo liberè præparare, ad talē illustrationē recipiendā, id quidē faciet suā voluntatē libera non physice prædeterminatā à Deo, sed in inspiratione aliqua mora, vt v.g. quando Eliseus petiit P saltem qui mentem eius excitaret, & similibus. Nulla est enim ratio fingendi ibi determinationem magis quàm in aliis actibus religionis, orationis, aut fidei.

24. Deinde post reuelationem obiecti iam reperitur in propheta iudicium quo veritati reuelatæ, & reuelationi tanquam à Deo factæ assentitur. Et tunc si reuelatio sit euidentis, per illam determinatur & necessatur intellectus ad assensum veritatis reuelatæ. Vnde ibi non est necessaria determinatio voluntatis ibi non est necessaria determinatio voluntatis ad tale iudiciū, quia neque actus eius necessarius est, nec concurrat casualiter ad tale iudiciū. Quod si is, qui recipit reuelationē per modum cōplacentiæ velit veritatē illā amare, aut in eius assensum consentire, id omnino liberè, & sine vlla præuia determinatione physica facere poterit. Si vero reuelatio sit obscura, tunc in substantia non excedit rationē fidei, & ideo ad assensum necessaria erit motio libera voluntatis. Veruntamen sicut in aliis vocationibus ad fidem, voluntas credendi ordinariè non habetur per physicam determinationem. Sed per vocationem congruam, vt ille auctor admittit. Ita in propheta voluntas assentiendi reuelatæ per inspirationem congruam, & opportunam optime fiet; ergo etiam ex hac parte necessaria non est prædeterminatio physica ad propheticam cognitionem, magis quam ad ceteros supernaturales actus.

25. Secundò considerari potest in propheta exterior locutio, seu prædicatio prophetiæ ad quam imprimis requiritur voluntas libera loquendi, & annuntiandi reuelationem sibi factam, vel doctrinam reuelatam, nam sine vlla dubitatione ita loquebantur propheta, plena libertate, & cum magno merito. Loquebantur autem moti à Spiritu sancto, qui eis voluntatem loquendi inspirabat, & quando ad hoc munus illos efficaciter eligebat, cōgrue etiam inspirabat eis talem voluntatem, ita vt infallibiliter eam haberent, & in ea perseverarent quandiu,

& quomodo Deus volebat, ergo neque ad hanc voluntatem erat necessaria prædeterminatio, sed ordinarius modus inspirandi, & vocandi congrue sufficiebat, post voluntatem autem necessariam etiam erat gratia & directio Spir. S. vel ad loquendum sine errore, & sine additione aliqua vel diminutione eorum quæ Deus reuelauerat, & annuntiari volebat, vel ad loquendum cōceptis verbis, & alio ordine, & modo dictatis à Spir. S. Veruntamen licet ad hoc esset necessaria specialis directio Spir. S. non tamen erat necessarium nouū auxilium, ex parte voluntatis, sed ex parte intellectus, quia per actum explicatum iam sufficienter erat voluntas determinata ad mouendā linguam, vt proferret quicquid Spir. S. menti dictaret: postea ergo solum necessarium erat vt Spir. S. dictaret, & offerret verba, & scriberentur, & hoc modo linguā dirigeret; ergo neque ex parte erat necessaria prædeterminatio physica ex parte voluntatis ad actum liberum, sed solum erat necessaria determinatio ex parte materiæ, seu subiecti, quæ potest dici quoad specificationem, non verò quoad exercitiū actus elicit ad voluntatē de quo tractamus. Qui modus determinationis etiā inter homines suo modo reperitur. Nam cum amanuēllis scribit, quæ ego dicto, liberè omnino scribit, & ad id ipse se determinat, non ego decerno saltē illi physice, licet rogando, vel præcipiendo, possum illi moraliter mouere, & nihilominus ex parte materiæ, & obiecti, decerno quoad specificationem scripturæ eius, vt talia verba, & tali ordine scribat. Ad hunc modum cum maiori tamen excellentia determinat Deus locutionē Prophetæ efficaciter proponendo illi talia verba non permitiendo vt illi alia occurrant, nec aliquod impedimentum quominus integrè, & perfectè illa concipiat, & exprimat eorum. Quæ quidem respectu intellectus, & lingue quædam necessitas est, respectu autem voluntatis nulla est nisi quoad quandam determinationem, & specificationem. Nam quoad exercitiū iam supponitur in voluntate determinatio libera prophetandi exterius, neque nouum actum elicit ad quem determinatione quoad exercitiū indiget, & ad perseverandum in eadem voluntate, periculerantia prioris vocationis, & inspirationis sufficit.

Atque ita optimè intelliguntur verba illa. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribens.* Nā sine dubio Deus inspirauerat, P salmista loquendi voluntatē, & liberè volebat linguā mouere, ad loquendum ea quæ Spir. S. dictaret, & ideo in ipsa locutione rectè cōparatur quædam suā respectu Spir. S. calamo scribens, quia in illa locutione nihil suum agnoscebat, nisi motionē & linguam, nam verba, & res dictabat Spir. S. & ita verbum ille lingua tanquam instrumento. Quod tandem potest non malè explicari per verba sapientis. *Homini est animā præparare, & Domini gubernare linguā.* Si per illam animæ præparationē voluntatē loquendi intelligamus, quæ quando est sancta tribuitur homini, non quia non fit etiā ex inspiratione diuina, sed quia per liberam determinationē habetur. Gubernare autem linguam non semper est in hominis potestate, vel libertate, quia pendet ex imaginatione, & conceptione verborū quæ non semper est in manu hominis, & multa currere possunt homine etiam inuito, quæ illam perturbant. Hæc autem necessitas altiori modo inuenitur in locutione prophetica, & ideo altior decretio, & gubernatio linguæ est necessaria, tota verò fit medio intellectu, & fantasia sine nouo vsu libertatis, vt explicauimus.

Et quod dixi de prophetica locutione, eadē proportionem locum habet in Scriptore canonico. Antecedit enim in illo libera scribendi voluntas ex diuina inspiratione concepta sine illa prædeterminatione physica, sicut de prophetis explicauimus. In ipso verò actu scribendi nõ erat necessaria noua motio voluntatis,

ratio, sed sola specialis directio, ex parte intellectus, & phantasiae, ac memoriae tam rerum, quam verborum, si necessaria esset. In hoc enim potest esse varietas iuxta materiam scripturam, & dispositionem antecedentem scriptoris. Interdum enim scriptor excitatur a Spiritu sancto ad scribendum quae alias vidit, vel nouit, ut de se dicit Lucas capite primo Evangelij. Et tunc Spiritus sanctus non omnino praeuenit scriptoris mentem, sed ab illo vult etiam diligentiam adhiberi, ut ex 2. Machab. 2. colligimus, & totum id fit per liberam voluntatem scribentis, non determinatam physice, sed inspiratam, & motam congruenter a Spiritu sancto. Ultra diligentiam verò, & supra libertatem scriptoris Spiritus sanctus assistit menti eius, dirigendo, & suppleendo, quod ipse scriptor sua diligentia non potest vel non affecit, vel remouendo ne quidquam scribat aliter, quam Spiritus sanctus vult. Aliquando verò scriptor merè prophetice scribit, quae tunc actu ei reuelantur, & a Spiritu sancto dictantur, & omnino se gerit scriptor, sicut amantenses Spiritus sancti, sicut Baruch scribebat verba quae dictabat Ieremias, & ipse Ieremias, ut dicitur Ierem. 36.) dictabat tanquam legens ex libro mentis suae, in qua Spiritus sanctus ea scripserat. Et in utroque tam Ieremias quam Baruch voluntas scribendi, vel dictandi, & obediendi Deo hoc praecipiente omnino libera erat, ex inspiratione diuina, sine physica praedeterminatione materiae autem, & verba Scripturae erant omnino ab Spiritu sancto sine interuentu voluntatis humanae. Quocirca in toto opere scribendi, vel dictandi canonicae scripturae nulla praedeterminatio physica voluntatis humanae necessaria est. Neque inuenitur opus supernaturale, pro quo sit necessaria, nisi ubi voluerit Deus humanae voluntati absolutam inferre necessitatem.

CAPVT XXV.

*Quid addat auxilium efficax auxilio praeuenienti
sufficiens, seu vocatio efficax generali, ac suffi-
cienti vocatori, & an per congruita-
tem vocationis hoc sufficiens
explicetur.*

Diximus in cap. 5. auxilium efficax in vocatione aliqua speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiae consistere, & in subsequentibus declarauimus, nullam esse excitationem quae ex sola sua intrinseca natura, seu entitate talis, seu tam efficax sit, nec praeter vocationem necessariam esse aliquam praedeterminationem ex parte Dei, quae vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino talem modum efficacitatis exclusimus, tum quia repugnat sufficientiae gratiae, cui illa praedeterminatio non adiungitur ex parte Dei, tum etiam quia pugnat cum arbitrij libertate. Et ideo superest explicandum quid illud sit, quod vocatio efficax addit ultra sufficientem, nam cum vocatio sufficiens sit vera vocatio, & de se effectrix consensus, & nihilominus vocatio efficax ab illa distinguatur, necesse est ut ratio efficaciae aliquid addat tali vocationi, quid ergo illud sit, inquirimus. Quod certè obsecrum est, nam ideo dixit Augustinus hanc vocationem efficacem altam, & secretam, & profundae considerationis esse, conandum nihilominus est id explicare, quod breuiter per nonnullas assertiones faciemus, deinde ad maiorem declarationem, & confirmationem nostrae sententiae nonnullis objectionibus satisfaciemus.

Primum ergo asserimus, vocationem efficacem non addere sufficienti nouum auxilium praeuen-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

niens, nec aliquam entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quae ad constituendum auxilium efficax, & distinguendum illud à sufficiente necessaria sit. In hac & sequentibus assertionibus abstinere nunc à probationibus, & ab auctoritate, quia de hac re sigillatim agendum est in capitulis sequentibus. Nunc solum assero saltem in eo esse hanc positionem consentaneam Conciliis & Patribus, quod in illis non inuenimus alia auxilia gratiae praeuenientis nostrum velle, & per quam Deus efficiat nos velle nisi auxilia excitantia, ut sunt illuminationes, & inspirationes. Non potest autem vocatio efficax addere ultra sufficientem aliquod peculiare auxilium excitantis gratiae, quod per vocationem non efficacem non detur, tum quia si illud auxilium est necessarium & negatur, vocatio, quae datur, non poterit esse sufficiens iuxta principia hactenus posita, & probata. Tum etiam quia probatum est, nullum auxilium excitans de se, & ex vi suae entitatis esse efficax ad determinandam voluntatem ad vnum, ergo quocumque auxilio excitante dato oportebit inquirere, per quid fiat efficax, & sic proceditur in infinitum: vocatio ergo non fit efficax per additionem peculiaris auxilij excitantis. Ergo nec per auxilium praeueniens ad velle liberum, quia, ut dixi, nullum est tale auxilium praeueniens nisi excitans. Et haec ratio etiam probat in vniuersum vocationem non constitui in ratione efficacis per entitatem, vel proprietatem realem illi additam, nam vel illa effectus distincta ab omni excitatione, vel tantum modus eius, neutrum est verisimile, & utrumque inuoluit omnes difficultates tactas de auxilio praedeterminante vel rem non explicat.

Prima pars probatur, quia si est entitas distincta, erit speciale auxilium actuale distinctum ab excitante, & praeueniens ad actum, ac proinde distinctum ab influxu simultaneo ab ipso imbibito, & sic erit auxilium actuale medium inter excitans & velle liberum, quod, ut dixi, in sanctis Patribus non inuenitur, & obiter notari possunt Augustinus in qu. 2. ad Simplician. dicens: *Credere Dei esse & nostrum, Dei vocando, & nostrum sequendo.* Vbi inter illa medium non constituit, nec in lib. 83. quæstion. q. 68. cum dicit, *Si quis sibi tribuat quod venit vocatus non potest sibi tribuere quod vocatus sit.* Nec Prosper lib. 2. de vocatione cap. 26. ubi cum de scripserit modum vocandi Dei per inspirationes, illuminationes, &c. immediate subiungit. *Sed voluntas subiungitur huic gratia, quae ideo excitata est ut incipiat velle cum merito, quod diuino semine conceperat.* Neque etiam Bernardus medium illud agnouit lib. de grat. & liber. arbitr. circa finem. Si vero illa proprietates est tantum modus intrinsecus excitationis, ille non potest esse nisi vel intensio, vel claritas vel similis proprietates, si excitatio sit in intellectu, vel suauitas aut quid simile si sit in voluntate: nihil autem huiusmodi sufficit, ut excitatio de se vel in se fiat absolute efficax, ut supra probatum est, quia per talem proprietatem non extrahitur motio à ratione gratiae excitantis, de qua probatum est non habere de se talem efficaciam. Et inde facile probatur altera pars, quia vel illa entitas aut proprietates, talis est, ut sit necessaria ad operationem, & sic sine illa non erit vocatio sufficiens, vel non est simpliciter necessaria, & sic non pertinebit ad auxilium efficax, quod necessarium est. Item vel addita illa entitate, aui proprietate necessario sequitur consensus voluntatis, & sic non erit liber, quia illa necessitas est antecedens, & procedit omnes rationes supra factae contra physicam praedeterminationem, vel non sequitur necessitatio, & sic non sequetur infallibiliter, ex vi talis entitatis, seu proprietatis per se, & absolute spectata, & consequenter non sufficiet ad constituendam vocationem in ratione efficacis.

Vocatio efficax non addit sufficienti nouum auxilium praeueniens nec aliquam entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quae ad constituendum auxilium efficax, & distinguendum illud à sufficiente necessaria sit.